11

HIERONYMI HENRICI
ROMANI S. THEOL.
ET V. I. DOCTORIS

ORATIO
Habita Romæ in die feſto Sanctiſsimæ Trinitatis

IN SACELLO PONTIFICIO

Dum à Summo Pontif. & Ampliſs. Cardd. ſacrum ſolemne haberetur.

AD ILLVSTRISS. ET REVERENDISS.
D. BERNARDINVM PAVLINVM
SANCTISS. D. N. DATARIVM.



BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

SVPERIORVM PERMISSV.

ROMAE,
Apud Gulielmum Facciottum.
M D C I I.

ILLVSTRISS. ET REV.

D. Bernardino Paulino;

SANCTISSIMI D. N. PAPAE DATARIO.

Hieronymus Henricus S. D.

NOVEM annos clariſsime vir in inter-
pretando in Almæ Vrbis Gymnaſio ius
primùm Pontificum, deinde Cæſarum,
maximo labore cùm iàm abſoluiſſem, at
que mei corporis incolumitati muneris
explendi illius intempeſtiuam horā, ni-
miùmque nocuam Medici cenſerēt:
ad id adductus ſum, vt Sāctiſsimo Ponti
fici,& Petro Aldobrādino Card. Came-
rario de me optimè merito, Principi cunctis in benefaciendo li-
beralisſimo, eodem munere omnem alium condonandi poteſta-
tem feciſſem. Quam excuſationem tu ita recepiſti, vt aliqua ſa-
cerdotij portione me cohoneſtaueris. Hanc ob cauſam oratio-
nem à me in ſacello Pontificio ad feſtum ſanctiſsimæ trinitatis
accomodatam hoc anno tanquam extremum virtutis opus iure
optimo tibi conſecro atque dico. Quod ſi inſignibus virtutibus
tuis domi, foriſq; obquas præcipuo muneri, in quo per decem an
nos doctè atq; cū gloria præfectus es tua, inuigilas: exile munus
minimè par ſit meum: ex eo excuſandū eſt, quò ſoluentes quod
poſſumus, excuſamur omnes. Quantum doctrinæ habeo, tan-
tumdem rependo. Equidem ſi Attalus Rex Aſiam qui ſibi a Po

pulo Romano donatam eidem occumbens legaſſet, gratus habitus eſt, iureque laudatur: non ingratus ego ero tibi qui diſciplinas, ſtudiaque mea confouiſti, fructus eorundem, & ſi immaturos viuens offerens, & oblaturus. Vale Romæ. eodem feſto Die. M D CII.

ORATIO.

VAE res in omni orandigenere duæ plurimum ſemper & potuerunt, & poſſunt (Clemens Pater Sanctiſſime) eæ contra me hoc feſto die non faciunt modo, verùm vrgent, imò, & conterrent. Loci maieſtas huius, quo nobiliorem deſiderare minimè poſſem: & rei ipſius de qua ſermo inſtituendus eſt, quæue ſumma cenſetur, altitudo. Quarum alterã vereor, alteram nemo mortalium capit. Sanctiſſimæ Trinitatis hodiernæ ſolemnitatis miſterium, quod mare magnum & ſpatioſum eſt manibus, imperſcrutabile adeò eſt, quò nec Auditor percipere, neque minus orator ego ſuffectus eloqui valeamus, niſi vnà credentes in lumine eius lumen ſuum contueamur. Quod ſi Card. Ampliſſimi Immortalis ipſe Deus amico, atque legislatori Moyſi faciem denegauit: vix poſteriora videnda permiſit; nos qui illigratos minimè eſſe conſcimus, vultus illius maieſtatem, micantes eius oculos: eaſuè frontis rugas qua acie intuebimur? Aut ſi à puerulo Aurelius deriſus eſt Auguſtinus, qui libris quindecim Trinitatis naturam & morũ integritati, & ingenij acumini innixus luculenter poſterorum memoriæ tradidit. Ego hiſce in rebus illo longè inferior, quiuè iam per duodecim annos illud ſtudiũ opportuniori tempori tranſmiſerim breui ſpatio, atq; abortiua, vt ita dicam oratione, eum qui non tàm dulcedine quàm altitudine ſuis omnem exuperat ſenſum perſcrutabor, intelligam, concludam? Non hãc ego ſuſcepi prouinciam; ſed quantùm Euangelium ſacroſanctum quod nuper audiuiſtis, patiatur, ſermone perſtringam. Agam primùm, illudq; exponam quod iuſsit Redemptor diſcipulis ſuis Gentibus prædicaturis: deinde qua animi magnitudine eiuſdem Redemptoris placita, veritatemq; omnibus inſinuauerint, annunciauerint, tutati ſint, ad veſtrum omnium imitationem, noſtramq; vtilitatem conuertam. Dicturus igitur tanta de re, obteſtor vos per eum in cuius nomine hùc conueniſtis, vt mihi exigui temporis attentionem ne denegetis, tantoq; fidei veſtræ miſterio incumbatis, neuè oratorem faſtidiatis. Auditor non obdormito, ſileto. Nam & ſi ea ſitis omnes ſapientia præditi, vix vt quicquam vobis ſubijci poſſit, quod non ipſi animo prius conceptum, meditatumq; teneatis, non iniquo tamen animo ferre debetis, abſcondiſſe aliquando dominum hæc a Sapientibus, & Prophetis, eaq; paruulis

reui-

*reuelaſſe:vt ab infimi atque abiecti hominis pectore vox exprompta ex
indita muneri virtute altiſsime veſtra doctrinæ latentis aliquid ener-
gia addat,atque exuſcitet.Qui itaque a Regno diſcedentis Regis mos eſt
Principes viros ad Prætorium conuocare a quibus ille pracipiti in re fi-
dei iuſiurandum expoſcat:eo conſtituit Ieſus aſcēſurus in cœlū diſcipu
lis ſuis in Galilea montem in quo illum latriæ cultu adorauerunt. Pa-
tremique in promulganda lege imitatus ita præfatus eſt. Data eſt mi-
hi omnis poteſtas in cœlo,& in terra,quia eum Pater ſuper opera ma-
nuum ſuarum conſtituerat.Filius ab æterno à Patre genitus poteſta-
tem,& coequalem,& coeternam iure ſuo & habuit, & habet. Chriſto
homini data eſt ob eius merita omnis poteſtas a patre; verùm quia an-
tequàm ſurrexiſſet à mortuis,nouerāt Angeli ſe ſubiectos homini Chri
ſto:per Prædicatores,quorum vox in omnem terram exiuit, idem mor-
tales agnoſcerent,& faterentur. Lex eſt eius ſacroſancta. Primum
docete Apoſtoli omnes gentes,deinde doctas intingatis in aqua. Etenim
fieri nequit vt corpus baptiſmi recipiat ſacramentum, niſi ante omnia
fidei ſuſceperit veritatem.Baptizantes eos in nomine patris,& filij, &
ſpiritus ſancti,vt quorum eſt vna diuinitas ſit vna largitio; nomenque
trinitatis vnus Deus. Clemens Pater Sanctiſsime tu qui Dei vices
in terris geris obquam cauſam ad pedum tuorum limina potentiſſimi
Reges procumbunt,audi fidem noſtram: Vnum Deum in trinitate;
eundemque trinum in vnitate adoramus.Vnam naturam. tres Hypo-
ſtaſes: coæternas perſonas.nec patrem filio ſeniorem, ſed patrem filio
prius, non priorem intelligimus: Sed ſi mens non capit humana, neque
Egyptij,neque Græci, non Trimegiſtri,non Magi ad tantam intelligē-
darum rerum profunditatem peruenire valuerūt, ex eo euenire opinor
quo fide rectòque opere opus ſit. Nàm quemadmodum ſolis radios præpo
tens oculus recipit; infirmus aufugit: Dei optimi maximi altitudini
Chriſti aſſecla facilè aſſentitur,infidelis obluctatur:atque Maieſtatis
perſcrutator ab eius gloria opprimitur. Vtque Pictor virga telam,
qua molliorem ad futuras impreſſiones recipiendas efficiat,percutit:ita
à peruerſo viuendi more ad Dei naturam capeſſendam animam tuam
Auditor expurga. Vtuè oculus nunc ad ſuperna, & inferna celeriter
commotus nequit facere viſionem,niſi affixus obtuſus viſo ſit: ita men-
tem ab innumeris noſtris curis diſtractam difficillimum intendere ve-
ritati. De Deo non ſecundum corpus, non ſecundum ſpiritalem crea-
turam,non iuxtà ſapientiam tuam ſapias. Deū enim ſi candidum, vel
rutilum,ſi nunc obliuiſcentem,nunc recordantem,ſi quod ſe ipſum ipſe
genuerit opineris;toto vaſto aberras cœlo. Satis ſit tibi de Dei omnipo-
tentia dicere. Tu dominaris poteſtati maris,motum fluctuum eius tu
mitigas. Tu dixiſti,et facta ſunt. Tu iuſtificas impium. Hanc veri-*

tatem,

tatem,quæ per innumera ſoecula homines latuit,quamuis nec facilè eloqui fariuè poſſumus inter truces tyrannorum aſpectus toruoſque oculos,interque dira tormenta diſcipuli proteſtati ſunt. Ecce Patres præclarè geſtum,quod hac die imitandum ducatis. Munus obitote veſtrum intra cuius ſepes vobis ſubditos doceatis omnia ſeruaturos quæcumque Deus,& illis & vobis mandauerit. Eiuſque ſanctam legem ita promulgetis,vt nec Syllabam ommittatis,nèuè pauorem oſtendatis. Quod ſi ſanguinem effundere,animam oppignorare,extremumque vitæ ſpiritum inter mucrones,micanteſque cuſpides emiſſuros, vos præuideritis. tale eſt fidei veſtræ inſtitutum,illudq; expoſcit,vt veritatẽ Euangelizetis. Et quantùm iſta rebellis hominis humeris duram legem imponere,atque ob omni humanitate aliena ſpeciem crudelitatis præſeferre videtur;tantum vos & eò promptius ingenuo pectore illam defendatis. Enimuero Mel ſui natura dulciſſimum, faucibus ſuperimpoſitũ permulcet,vulneribus exulcerat:ſic veritas bonis anuunciata obſequium, malis odium parit. Inter præclara tot Martyrum quos Catholica Eccleſia habet,geſta, quæ multitudine iàm iàm ad humanã memoriã laborant ſua, Petrum Apoſtolorum Principem conſidero timidum illum ſenem, ſanguine penè caſſum, adeòque timidum vt nec vilis muliercula percantationem tulerit, qui vir factus ſit poſt aceſſionem ſpiritus ſancti aduerſus eos qui inſulſis non ſolum ſcommatibus inceſſebant,ſed armati incuſſabant. Nudo corpore, aduerſoq; pectore aduerſus armatos,aduerſus Principes qui publicum in ipſum ius habebãt imperitus,elinguis,ſimplex aduerſus impoſtores,& circumuentores, aduerſus ſophiſtarum,Rethorum,ac Philoſophorum turbam qui in Academia Platonis,& Ariſtotelis exercitati depugnauerant,inſiſtens, hos ita ingenua,præclaràque voce ſuperauit,quaſi cum multis piſcibus certamen ſibi fore duxiſſet. Effundatis dicebat in me ſanguinem hominis illius. Macte virtute ſenex,qui vitam primùm faſtidire, quàm ampliare didicit, Magiſtri ſui leges verbo primùm,opere deinde perfecit. Miles Princeps vos Epiſcopos ad Chriſtianæ veritatis promulgationẽ; vos Iudices Eccleſiaſticos ad integræ non claudicantis iuſtitiæ exequutionem allexit. O quàm deridendum Epiſcopum illum, ſacerdotem illum, Iudicem illum, qui abiectum coram ſe hominem toruo trucique oculorum aſpectu transfigit, verbis conſepelit:potentem ac ſontem ita recipit, vt aſſentiatur, Hunc metuat,illum terreat. O Ambroſium omni laude dignum non ea peccatoris,quæ nõ impinguabit caput tuum. Theodoſium Cæſarem palàm peccantem ab eccleſiæ foribus expuliſti:militem cædiſti. O vos Martyres qui cum laceraremini eo fuiſtis habitu oris,vt ſuperante lætitia dolores ridentis quoque ſpeciẽ præberetis. Etenim ſicut neceſſitas ingenium acuit,ita tormenta virtutẽ

exci-

excitant. Quod ſi a parentibus minimè degeneres non ſolum exuultus lineamentis, atque ſtructura, ſed ex morum potiſſimum imitatione liberos amici cognoſcunt: vos Epiſcopos, vos Iudices, vos ſacerdotes omnes ita Petri filios, inque Petram illam alliſos cuncti homines eſſe fatebuntur, ſi ut vices, vt viuendi genus, vt veſtimenta, vt ſacerdotia, vt dignitatem, ita mores quoque in terris geratis. Quod ſi præclari illius ſenis Sanctiſſimi cineres, illaque oſſa, quæ Deus ſexcentos poſt annos ita cuſtodit atque cuſtodiet, vt vnum ex eis minimè conteratur, in auguſtiſſimo Orbis terrarum templo repoſita in diem magis, atque magis, non tàm oculos ad inſigne ſtructura monumẽtum, quàm mentem veſtram ad illius memoriam reuocare vnquàm potuere: argenteum illius ſimulachrum, eiuſque ſtatuam ita intueamini vt non illi ſed eius Archetypo conſimiles verbum Dei Euangelizetis, bonos condignis præmijs, malos pœnis afficiatis. Nã ſi Aquila ad contuendũ ſolẽ pullos ſuos experiri aſſueuere et aſſueſcũt: non expectetis quod in cælo ad aſpectũ perpetuò coruſcãtis ſolis ſãctiſſ. trinitatis ex cõdonata gloria ipſe vos experiatur, ſed vos ex anteactæ vitæ meritis illius martyrio in terris, in cœlis gloria condignos præbete. Illudq; ante oculos veſtros vobis ſemper opponatis, quod igneus homo in medias ſi incidat ſtipulas, minimè lædetur, ſed vim magis exercebit ſuam: qui vobis aduerſabitur ſimilis ei erit qui ignem geſtans luctetur cum eo qui fœnum importat. Auditores ſeruate iuſtitiam omnibus æquam. Dei Euangelium audacter annũciate. Et annunciate, quod quicunque crediderint qui in trinitate in nomine patris, & filij, & ſpiritus ſancti fuerint baptizati, omnia quæ præcepta ſunt opere ipſo adimplebunt, atque perficient.

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE